



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De beati Constantini Imperatoris testamento. Cap. XXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

templa ab ipso ædificata consecrarent. Misit etiam illo vnâ nonnullos principes, viros sibi familiaritate & beneuolentia coniunctissimos, pietatis & fidei ornamentis eximie decoratos, quibus mandatum dedit, vt non episcopis solum & eorum comitibus, verû etiam omnibus egentibus, qui illuc confluerent, omnia necessaria largè & liberaliter suppeditarent. Porro sacrosanctum altare aulæis planè regalibus, & monimentis lapidibus preciosis auroque collustratis, adornabatur. Ad hunc modum igitur festo splendidissimo celebrato, episcoporum singuli domû rediere: imperator autem, cum de celebris festi splendore & magnificentia certior factus esset, incredibilem animo cepit lætitiâ, & omnium bonorum largitorem Deum propterea laudibus extulit, quòd istud postulatum benignus ipsi concesserat. Postquam verò Athanasius ad eum venit de iniquo iudicio conquesturus, episcopos quos ea de re accusabat, ad se aduentare iubet Imperator. Qui simul vt accesserunt, calumniasque suas manifestò deprehensas animaduertunt, illis, quas iam ante confixerant relictis, referunt Imperatori, Athanasium minatum esse se prohibiturum, quo minus frumentum, vt solet, Alexandria Constantinopolim adueheretur. Quibus verbis fidem adiungens Imperator, Athanasium mittit in exilium, iubetque vt Treuerim urbem Galliaë se conferat. Iam trigessimus regni sui annus agebatur.

De beati Constantini Imperatoris testamento.

CAP. XXXII.

ANno & paucis mensibus dilapsis, cû Imperator esset Nicomediæ, grauitè ægrotare cœpit. Cumque secû consideraret, quàm incertus sit humanæ vitæ exitus, donum sacrosancti baptismatis accepit. Ad hoc namque tempus istud ideo distulerat, quòd magno tenebatur desiderio hoc salutare lauacrum in Iordane fluuio percipiendi. Tres filios imperij reliquit heredes, Cōstātinū, Cōstantiū, & Constantem natu omnium minimū. Athanasium magnū Alexandriam redire iussit, idque præsentè Eusebio episcopo Nicomediæ, & contraria ei suadere laborante.

Pro eo-